
Historia Scholarum Vratislavienne gymnas. Elisabet.

Pal Dag: 737.

Fechneri Joh: Pythagorae Philos. antiquiss. Instituta et praecepta de silentio, convictu frugali, examine sui quotidiano etc.

1648.



Q. D. B. V.

PYTHAGORÆ PHILOSOPHI ANTIQVISSIMI INSTITUTA ET PRÆCEPTA DE SILENTIO, CONVICTU FRUGALI, EXAMINE SUI QUOTIDIANO, ALIISQUE VIRTUTUM OFFICIIS, MONENDÆ JUVENTUTI ACCOMMODA,

IN SCENA DECLAMATORIA GIMNASII ELISABETANI A. D. XXVI. NOVEMB. HORIS AB VIII. MATUT.


EXPLICANDA ET RECITANDA INDICIT

M. JOHANNES FECHNERUS.

WRATISLAVIÆ.
TYPIS BAUMANNIANIS.



LECTORI BENEVOLO
Salutem, Observantiam, Amorem.

*Arneades Academicus, uti prodidit de illo Noctium Atticarum elucubrator* Agellius, *scripturus adversum* Lib. 17. c. 15. *Stoici Zenonis libros, superiora corporis elleboro candido purgavit, ne quid ex corruptis in stomacho humoribus ad domicilia usq; animi redundaret, & constantiam vigoremq; mentis labefaceret. Tantâ curâ, tanto apparatu vir ingenio præstanti ad refellenda, quæ scripserat adversarius, aggressus est. Idem facere addecebat eos, qui acuto veteres invadunt graphio & eorum placita convellunt & antiqvant. Videmus nempe multos ex illis, qvi sibi hanc sumunt potestatem, elleboro opus habere, & judicio non satis purgato* majores *accusare, aut errorum insimulare. Eqvidem scio antiqvos sapientum dormitasse aliqvando, & non ubiq; fuisse Argos. Habent suos nævos, habent suos errores. Sed rara est arbor illa, qvæ stolones ab radice non emittat: qvis tàmen ideo totum pometum â stirpe incidendum putat? Deputat potius stolones, ut arbores conservet. Ita in antiqvitate eruditâ versandum valdè censeo. Removendi errores, conservandi autores, qvi per traducem doctrinæ fæcundissimæ omnem sapientiam*

ad

ad posteros feliciter propogarunt. Verùm uti sua cuiq; sponsa, sua cuiq; Melænis placet: ita typho arrogantiæ decepti pleriq; sua tantum scita exosculantur, aliena verò superciliosè despiciunt: Cùmq; in viventes & videntes aciem suam educere non ausint, ut ex quilini vultures mortuos & mutos incursant, qui non sunt remorsuri. Cautè sanè & providenter! Nam uti Junius in satira *Tigillinum vivum ponere non sustinet tunicæ molestæ metuens,* Juven. Sat. 1. v. 155. 170. *sed experitur;*

Qvid concedatur in illos,
Quorum Flaminiâ tegitur cinis atq; Latinâ:

Sic hi defunctorum scripta, quæ aliàs cum blattis rixantur, lancinant, ut lectores ad singulas plagas e scena velut acclament; Vapula Papyria. *Scilicet hic mos est arenæ literariæ: unco trahitur cæsus in spoliarium ab illo, quocum in eodem ludo altus educatusq; fuit. Ac per me quidem omnia protinus sint alba; neq; laureolam, quam ex isto mustaceo captant, cuiquam detraxero. Vexent, vellicent, jugulent antiquos Cæsij, quiq; omnium acerrimè hanc pugnam pugnant,*

Præcipui sunto, sitq; illis aurea barba. Pers. Sat. 2. v. 58.

Sed si verum admittere audemus, prisci Sapientes etjam muti causam suam pulcrè tuentur & insultus quosvis facile sibi defendunt. Arcana enim & mystica ipsorum Philosophia horribilem ac sacram præ se fert faciem, quâ ceu Ægide cordatos etiam in stuporem, imperitos verò in saxa protinus convertere valent.

At, inquiunt rosores & osores vetustatis; dogmata

veterum Philosophorum sunt paradoxa pleraq; & Aphennis obscuriora, quæ nemo percipere potest. O dæmonia hominum! Ad intima penetrandum; non exterior saltim & obiter inspectanda Sapientiæ facies. Sunt obscura, sunt paradoxa dogmata veterum, non curiosis profundæ veritatis scrutatoribus, sed uulgo, & qui vulgo tantum sua probant studia. Horum verò puncta si experiri debent Sapientes, actum est de solidâ & verâ eruditione: sic enim sapientissimi quiq; vel testularum suffragiis prementur, vel pro elleboro potionem Letheam bibere jubebuntur. Notum est, quid apud illas ipsas Artium inventrices Athenas Anaxagoræ & Socrati contigerit, qui doctis optimisq; viris

Juven. Sat. 7. v. 206.

Nil ausæ præter gelidas conferre cicutas.

Non est pro Democrito Democratia. Exeste igitur his adytis, his sacris, ô profani; ex este, qui vulgo vocem operamq; venditis grati popularitate Magni. Sapientem esse oportet, qui sapientem agnoscat, *ait* Xenophanes. *Hic enim non sensum, ut vulgus, sed intellectum advocat in consilium, ac de Sapientiâ judicat sapienter, & in foro, ut ICti vocant, competenti. Ergo sicut artifex metallicus argentum mineris natalibus effossum non abjicit, quia scorias habet admixtas; sed his adustis & ablatis metallum purum putumq; in manus hominum mittit: Ita vir literarum veterum exequentissimus non proculcat thesaurũ priscæ eruditionis, quia obscuritate aliquâ horret, sed illum ex arcanâ eruit favissâ & remotâ obscuritatis nebulâ intimo nitore illustrem in dium profert & in*

Stat. Geneth. Lucani. v. 69.

Erasm. l. 7. Apophth.

& in secula ire jubet. Quod si verò quis pertendat, veterum placita propter adsitas alicubi opiniones absurdas esse tollenda; illi si fuerit rerum non admodum gnarus, aut literarum antiquarum solens, suademus, ut suspendat judicium, & Pyrrhonis in Academiâ seqviori frequentatum illud ἐπέχειν sibi usurpet. Si vero fuerit artium cognitione probè instructus, illi liberum permittendum est judicium: hoc tamen ipsi reponendum simul censemus; si veterum dogmata non usqevqvaq; sunt proba, disciplina certè illa rigidior adstrictiorq;, cujus fuere servantissimi, omninò approbanda venit. Non patiebantur olim Sapientiæ doctores juventutem futili lusu aut Milesiis deliciis frangi, sed ad severitatem, continentiam, frugalitatem dignas sapiente bonoq; virtutes maturè teneros adsvefaciebant animos morum ἀρμοσταὶ accuratissimi. Revocanda erat hæc disciplina, præsertim hac virtutum sterili tempestate, qva cum Seneca *querendum,* mores esse eversos, regnare neqvitiam, res humanas in deterius & omne nefas labi. *Res ipsa loqvitur, qvid efficiat laxa illa & remissior educatio Mitionum, qvi Cincinnatulos suos molli brachio & malacum in modum tractari postulant. Mollem & rosis instratam semitam ad eruditionem nobis præstruimus, & asperam illam veterum viam & contentissimam vivendi rationem imitari refugimus.*

V. Valles. Sacr. Philos. c. 62.

Lib. 1. de Ben. c. 10.

Atq; ut alios è censu veteri Philosophos latere patiar, qvis hodiè Pythagoræ consummatissimi Sapientis instituta in scholas postliminiò reducenda statuat? Qvanquam

V.Cic.1. & 5.T.Q. Val.Max. lib.8.c.7 *qvam enim* nomen Philosophi, *qvod hic primus sibi tribuit, cum nomen Sapientis jam alii ante ipsum occupassent, qvivis Sapientiæ doctor usurpare amat, nemo tamen modum informandi, qvo usus est, seqvi curat. Dura nimis & dira propè ejus videtur disciplina, uti qvidem vulgò describitur.*

Inter cætera Silentium *illud, ad qvod adstrinxit auditores, malè, imò malignè interpretantur pleriq;, qvi literis id commendarunt. Tàm laxè nimirum illud accipiunt, ut Pythagoræi notissimo vulgi cavillo pro continuæ cujusdam & superstitiosæ taciturnitatis exemplo principe differantur.* (Vid. Adag. Eras. tit. Taciturnitas.) *Ipsum Pythagoram modo silentii magistrũ, modò Samium piscem, modò stupendum verborum Euclionem vocant, qvi loqvi grande piaculum putaverit, qviq;* religione obstrictus *perpetuò* tacuerit. (Epigram Incerti de estat. Pyth.) *Qvid hoc est aliud, qvam facere ex homine disertissimo fruticem, truncum, lapidem infantissimum, qvi nullam edere qveat vocem. Næ hæc hyperbole supra fidem est. Nam qvi possim dicere tacuisse eum, qvi totam ætatem discendo & docendo contrivit? Atqvi ego affirmare ausim, neq; Platonem in Academiâ, neq; Aristotelem in Lyceo æqvè vocalem fuisse, qvam in scholâ suâ Pythagoram. Sed benè est: tuetur optimum Philosophum illud in* κοινοβίῳ *ejus freqventissimum dictum;* Αὐτὸς ἔφα. (Laert. in Vit.Pyth. V. Max. l.8.c.15.) *Disseruit ergo reliqvis tacentibus & silentium indixit, non sibi; sed auditoribus, neq; omnibus; sed initiandis. Totam Silentij hujus decantatissimi rationem* Agellius *ex Tauri Philosophi relatu in* Atticis suis Noctibus *luculenter exponit,* (Lib.1.c.9.) *cujus verba sanè adscribam:*

Eum

Eum, qvi exploratus ab eo (Pythagorâ) idoneusq; fuerat, recipi in disciplinam statim jubebat, & tempus certum tacere: non omnes idem, sed aliud alijs tempus pro æstimato captu solertiæ. Is autem, qvi tacebat, qvæ dicebantur ab alijs audiebat. Neq; percontari si parum intellexerat, neq; commentari, qvæ audierat, fas erat. Sed non minus qvisqvam tacuit, qvam biennium. Hi prorsus appellabantur intra tempus tacendi audiendiq; ἀκουστικοί. Ast ubi res didicerant rerum omnium difficillimas tacere audireq;, & esse jam cæperant silentio eruditi, cui erat nomen ἐχεμυθία; tum verba facere & qværere, qvæq; audissent scribere & qvæ ipsi opinarentur expromere potestas erat. Hi dicebantur in eo tēpore μαθηματικοί, scilicet ab ijs artibus, qvas jam dicere atq; meditari inceptaverant: qvoniam Geometriam, Gnomonicā Musicam cæterasq; item disciplinas altiores μαθήματα veteres Græci appellabant. Exinde his scientiæ studijs ornati ad perspicienda mundi opera & principia naturæ procedebant. At tunc deniq; nominabantur φυσικοί. *Hactenus Agellius. Ecce tibi ordinem concinnum disciplinæ Pythagoricæ, qvæ & tacendi & loqvendi metas constituit certas. Injunxit igitur Pythagoras silentium rudibus &* ἀγεωμετρήτοις, ne scilicet, *ut* Laertius *scribit*, qvæstionibus & altercationibus implicarentur, neq; a temerariâ provocatione, sed a sobrio & attento silentio Sapientiam auspicarentur. *Neq; hòc adeo abhorruit ab aliorum Doctorum institutione.* L. 2. c. 2.

Isocrates

Stobæus ex Max. S. 15. Isocrates *non tacendi, sed dicendi Magister celeberrimus recepturus in disciplinam juvenem qvendam linguacem & blateronem duplicem ab eo mercedem postulavit; unam, ut doceret tacere; alteram, ut doceret loqvi. Ac recte qvidem: Hermathena enim seu Svada prudens in castra sua non admittit graculum streperum, qvalis Thersites ille Homericus, futilis & importunus locutor, cujus os* ἀπύλωτον *linguam vagam & petulantem cohibere nesciebat. Ulyssem illa amat prudentem & consideratum, qvi* ἐκ στήθεος *verba promit. Miretur vulgus locutulejos istos, qvi multum tinniunt & verborum turbam expeditissimè funditant. Nam hi plerumq; imprudentes & impudentes cum securitate loqvuntur, & produnt se esse, ut Eupolis scitissimè loqvitur,* ἀρίστους λαλεῖν, ἀδυνατωτάτους λέγειν, *i. e. ut Salustius interpretari videtur, loqvaces magis, qvàm facundos. Si sapientis, si eloqventis est omni laterum contentione multa variaq; declamare & detonare, verborum illi nundinatores agyrtæ erunt omnium sapientissimi, omnium eloqventissimi, qvi Periclem, Platonem, Gorgiam, omnes deniq; qvotqvot fuerunt unqvam, aut sunt, Oratores, Philosophos, Sophistas suâ vocalitate obtundere qveant. Sapiens, qvi est & eloqvens, simul & prudens est: omnis verò prudens verborum parcus est, & voces prius in corde concipit, in* διανοίᾳ *deinde ruminat, & demum ore prodit, ne qvicqvam temerè illi excidat & fugiat* ἕρκος ὀδόντων, *ut Homerus os consignatissimè indigitat. Docti & consummati viri vocem populo non vendunt, non vulgant*

V. Agell. l. I. N. c. 15.

V. eund. ibid.

gant

gant lingvam, sed amant modestum & moderatum sermonem, quod veterum pluribus exemplis confirmat Maximus *inter Platonicos posteriores maximus. Hoc ergo voluit, hoc docuit Silentium Pythagoricum. Inhibuit illud futilem loquentiam, viam præstruxit ad Sapientiam & Eloquentiam. Verbo: removit garrulitatem, cui nulla subjecta est scientia. Sic Pythagoras ad Puteal Sapientiæ eloquentis causam suam pulcrè tuetur. Atq; utinam disciplina hæc in scholas revocari possit, ut importunis interpellatoribus, intempestivis disputatoribus & declamatoribus, h. e. nugatoribus os alicubi obstruatur, & adolescentes prius discant loqui, quam loquantur. Sed Sigalion silentium mihi imponit, & in aurem mihi susurrat illud vulgatum; quid Polydamas Hectora. Revertar itaq; in Pythagoræ* κοινόβιον, *in quo etiam rigidi quidam censores victum hujus Philosophi frugalem & hortensem cœnam respuunt & damnant. Communis enim opinio prodidit, Pythagoram clementiâ qvadam superstitiosâ pecudes cædere & carnibus animalium vesci nefas esse duxisse & dixisse, qvod apud* Nasonem *personatus Pythagoras hoc inter alia epiphonemate pathetico explicat:*

Serm. 15.

Lib. 15. Met.

Heu qvantum scelus est in viscere viscera condi,
Congestoq; avidum pinguescere corpore corpus,
Alteriusq; animantem animantis vivere letho!

Hoc autem dicunt ex monstrosâ & impiâ μετεμψυχώσει *seu transmigratione animarum profluere, qvam idem* Naso *ficto & picto sermone Pythagoræ ita dedit descriptam;* Ibid.

Morte carent animæ ſemperq; priore relictâ
Sede novis domibus vivunt, habitantq; receptæ.
Huc venit, hinc illuc & qvoslibet occupat artus
Spiritus, eq; feris humana in corpora tranſit.

Atq; hæc qvidem opinio olim in Græcia Magna fuit receptiſſima. Ipſe Ennius Latinæ Poeſios ſtator ſomniavit, animam ſuam fuiſſe in Homero, qvod Satiricus *his notat verſibus:*

Perſ. ſat. 6. v. 10. 11.

Cor jubet hoc EnnI, poſtqvam deſtertuit eſſe
Mæonides qvintus pavone ex Pythagoræo.

Verum cordatiores hanc μετεμψύχωσιν *ceu ſomnorinam imaginem & phaſma inane rejecerunt; imprimis* Lucianus *cognonento Blaſphemus hoc dogma feſtivum in modum & pro conſvetâ ſibi dicacitate perſtringit. Et nos qvidem Chriſtiani non poſſumus non illud deteſtari, cum hominem brutis exæqvet & animam ejus ſpiritum nobiliſſimum & divinæ auræ particulam corpori beſtiarum immittat. Poterat tamen hîc forte qvis ſuſpicari, hanc animarum tranſmigrationem ex morali, non naturali Pythagoræ Philoſophiâ explicandam eſſe atq; ad mores hominum levium & perditorum reſpexiſſe Samium hunc Sapientem. Cauſa ſuſpicandi hæc eſſe videtur: qvia ejus* Philoſophia *eſt ferè* ſymbolica, *præſertim Ethica, qvod ſymbola ejus aurea diſertè loqvuntur, in qvibus freqventiſſimum eſt, hominum vitia animantium nominibus inſinuari. Hauſit enim omnem ſuam ſapientiam partim ex Orphei & poetarum Theologiâ fabuloſâ, partim ex Sacerdotum Ægyptiorum hieroglyphicâ*

In Gallo.

V. Valleſ. De. S. P. c. 16.

V. Cic. 5. de Fin.

phicâ Doctrinâ : Sed hæc saltim est suspicio, non sententia dogmatica. Hoc verò ëtiam atq; etiam notandū arbitror, quod discipuli ejus, qui ævo illi fuere proximi, doctrinam de animæ immortalitate, cujus is primus inter paganos Philosophos auctor communi doctorum suffragio prædicatur, remotâ illâ μετεμψυχώσει *exponant, atq; aliter, quam vulgus scriptorum.* Zamolxis *Legislator Getarum (non Gothorum, ut habet vulgaris error) Pythagoræ præceptoris de immortalitate animarum sententiam inter Scythas barbaros propagavit, qui cum morerentur, autumabant, se ad Zamolxin profecturos esse, ut auctor est* Herodotus. *Platonis quæ fuerit sententiâ eâdem de re, ex* Melpom. c. 13. *Dialogis ejus,* Axiocho *præsertim est cognitissimum. Deferri ibi affirmat Socrates bonorum animas* ἐις χωρίον τῶν ἐυσεβῶν, *sive* concilium beatorum, *uti* Cicero *interpretatur.* De Senect. *Hæc assertio tradux est doctrinæ Pythagoricæ: unde conijcere licet, multa Pythagoræ imputata fuisse, quæ Pythagoræorum quorundam fuere dogmata ex Magistri ore aut non fideliter aut parum rectè excepta. Certè animalium cædem & mactationem nefas esse haut quaquam putasse eum, vel unicum hoc verbum, quo inventum quoddam arithmeticum hecatombe seu centum boum mactatione dignum æstimavit. An a religione tam alienum ipsum fuisse dicamus, ut vel victimas Deo offerre impium duxerit, quia hoc sine sangvinis profusione fieri nequit? Credat id, qui volet Nasoni fabulanti, qui illam ipsā* μετεμψύχωσιν *in numero & censu fictarum* μεταμορφώσεων *ponit. Uti ergo in sacrificiis pecudes cædere nefas non pu-*

tavit

tavit Pythagoras, ita neq; ex conviviis carnes omnino removit. Esitasse enim ipsum carnes & selectiores quidem, laudatus supra N. A. scriptor *hisce verbis facit testatissimum:* Opinio vetus falsa occupavit & convaluit, Pythagoram Philosophum non esitavisse ex animantibus. Item abstinuisse fabulo, quem κύαμον Græci appellant. Sed Aristoxenus Musicus vir literarum veterum diligentissimus, Aristotelis Philosophi auditor in libro, quem de Pythagora reliquit, nullo sæpius legumento Pythagoram dicit usum quā fabis. Porculis quoq; minusculis & hædis tenuioribus victitasse, idem refert Aristoxenus. Quam rem videtur cognovisse ex Xenophilo Pythagorico familiari suo & ex quibusdam alijs natu majoribus, qui ab ætate Pythagoræ haut multum aberant. Ac de animalibus Alexis etiam poeta in comœdiâ, quæ Pythagoræ vita inscribitur, docet. Plutarchus quoq; homo in disciplinis gravi autoritate, in primo librorum, quos de Homero composuit, Aristotelem Philophum scripsit, eadem ipsa de Pythagoricis scripsisse, quod non abstinuerunt edundis animalibus, nisi paucâ carne quadam. *Hæc Agellius; quo certè teste, imo judice, absolutus est Pythagoras a crimine superstitiosæ abstinentiæ. Commendaverat suis victum frugalem & hortensem, qui ex olusculis, leguminibus, bulbis & pomis constat, cui Apitio instructore non est opus, quiq; sine impensâ facile possit parari. Prohibuerat contra esum quarundam carnium succi parum salubris.*

Agell. l. 4. c. 11

salubris. *Hoc qvidem ex auditoribus rupices pervorsè intelligebant ac si omnium omninò animalium esum damnaret, & ad solum terrestrem & incruentum cibum sectatores suos adstringeret. Hinc error ille communis in populos nationesq; dimanavit, qvem qvidam literis inserere non sunt veriti, ne scilicet ignorarent curiosi nepotes, qvid Pythagoras in cœnam suam inferri jusserit, qvi cunctis animalibus abstinuit. Tollatur error, & patebit veritas clarissima. Frugalitatem hortenses illæ dapes ostentant, qvas primo homini in ipso* Paradiso *Deus commendat, qvas prisci genij sapientes Siculis & Alexandrinis mensis longè præferunt Talis Platonica cœna, ad qvam* Timotheus *Cononis filius invitatus omissis opiparis Ducum epulationibus properauit, dicens: Qvi cum Platone cœnant etiam postero die benè habent. Qvin ipse voluptatis magister famosissimus* Epicurus *teste* Satirico *fuit* exiguis lætus plantaribus horti: Idem *prædicavit se paratum esse cum Jove de felicitate certare, si aqvam haberet & offam. Vocati ad cœnam Trimalchionis dubiam & sumtuosam Cynici vel Socratici non comparebunt, dicentq; se malle domi salem lingere & rapis vesci, qvas Romulus in cœlo etiam comesse scribitur, qvam adipata frui mensâ. Ad parabilem victum suum adsvefecerunt stomachum, qvi oluscula & cramben bis appositam non fastidiat, qui non respuat terrâ nascentia, quæ emere facile queat Sapiens, cui plerumq; res domi angusta, & rara in arcâ Pieriâ, ut cum* Satirico *loquar, quadrans. Id* Socrates *demonstrare voluit,*

Gen. 1. 29.

Plutarch. in Sympos.

Juven. sat. 13. v. 122.

Stob. f. 16.

Juven. Sat. 8.

Eras. l. 3. Apoph. ex Plutar.

 qui

qui quendam ex amicis conquerentem, quod Athenis omnia magno venirent, manu prehensum e macello duxit in forum farinarium; obulo, inquiens, semisextarius venit, non igitur omnia magno in urbe veniunt. Qui paucis & necessariis contentus est, vilem sibi facit annonam. Gulones, ventres, decoctores perditissimi, qui nepotino sumtu instruunt convivia & unâ comedunt patrimonia mensâ, cædant saginam, quærant per omnia elementa delicatos cibos, concinnent struices patinarias, ut standum sit, si quid ab summo petas, uti parasitus ille Plautinus loquitur. At qui Bonæ Menti & Sapientiæ operantur, gulæ imperare discant, & Pythagoricam, Socraticamque exstruant mensam, cogitantes illud Persianum:

In Menæch. a. 1. s. 1.

Sat. 3.

Est tibi far modicum, purum & sine labe salinum,
Quid metuas? cultrixq; foci secura patella.

Sed ut ad oleas revertamur, præter silentium & frugalem convictum Pythagoras auditores suos quotidiano conscientiæ examine seipsos probè excutere jussit, ut ita in vitam, mores, studia accuratè inqvirerent. Qvamobrem subinde illum Homeri versum ijs occentavit:

V. Eras. l. 7. Apoph.

Πῆ παρέβην, τί δ' ἔρεξα τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη. Hanc ἀκρόασιν Pythagoricam Ausonius Eidyllio inclusit non invenusto, qvod dignum est visum, ut Virgilij i.e optimi Poetæ carminibus & catalectis adjungeretur. In eo præter alia officium Viri Boni, & ejus, qvi bonus evadere studet, in explorandis suis defectibus & profectibus his ad mentem Homeri & Pythagoræ expressit carminibus:

Eidyll. 11. De Vir. Bon.

Non prius in dulcem declinet lumina somnum,
Omnia qvâm longi reputaverit acta diei,
Qvid prætergressus, qvid gestum in tempore, qvid non,
Cur isti facto decus abfuit, aut ratio illi?

O aurэum

O aureum prorsus monitum, cui παράλληλον illud divinum Γνῶθι σεαυτὸν, qvod e cœlo cecidisse Juvenalis adfirmat! Qvid enim qvæso dici potest melius ad vitam aut rectè instituendam aut emendandam? Sanè tàm necessarium, tàm salutare præceptum juventuti jugiter erat inculcandum. Experimur enim nos, qvi Scholis nostram addiximus operam, expermur, inqvam, sed non sine cordolio & animi dividiâ, qvam cerea sit illa ætas in vitium flecti, qvam crebrò ad divergia voluptatis & improbitatis dilabatur profligatissimis seculi moribus corrupta, ita ut in viam rectam omnibus modis sit revocanda. In bivio Herculis est constituta, ubi litera Pythagoræ discrimine secta bicorni in geminos porrigitur tramites. Hic profectò opus est dubitanti dux viæ, & ἐνόδιος Hermes, qvi dextram virtutis viam commonstret relicto ab lævâ vitio.

Sat. IX.

Epigr. incer. de Lit. Pythagoræ.

Cum igitur superioribus diebus AusonI *fortè Eidyllia lectitarem, & jam ad laudatum modo ventum esset carmen sive acroama Pythagoricum, qvod inscribitur* de Viro Bono, *dignissimum mihi visus sum reperisse argumentum, qvo in publicâ aliqvâ Declamatione adolescentes ad probitatem & emendationem vitæ excitarentur. Ac simul mihi in mentem erant* Agellianæ *illæ dissertatiunculæ supra laudatæ, in qvibus exactius, qvàm vulgò Silentium & Convictus frugalis Pythagoricorum auditorum explicatur. Has non minus juventuti scholasticæ monendæ commodas censebam, ut qvem non latebat, ei, qvi operam suam scholis addixisset, id unicè agendum esse, ut discipulos non tantum doctos, sed & probos olim producat. Eo itaq; fine* Instituta *ista* Pythagoræ *& alia qvædam ejusdem* Apophthegmata & acroamata *publicè exponenda & repetenda indixi.*

Exercitia illa scholastica Die crastini, Deo clementer annuente, in Auditorio GymnasI *nostri supremo habebuntur, ad qvæ audienda* Vos Viri Magnifici, Strenui, Nobilissimi, Amplissimi, Perreverendi, Consultissimi, Experientissimi, Clarissimi, Spectatissimi, Præstantissimi, Domini & Patroni submissè colendi, Fautores & Amici multum honorandi, *hoc Programmate officiosè invitamus obnixè rogantes, ut si per negocia graviora licuerit, Musas nostras invisere, & per bihorii spacium auricularem nobis operam pro solitâ erga literas faventiâ præbere, ne dedignemini. Nos* Vobis *paratissima observantiæ & honoris studia redhostimenti loco sanctè pollicemur, Deum precantes, ut* Vos *incolumi in Republicâ incolumes qvam diutissimè conservet.* P. P. *Die* XXV. *Novemb. Anno Orbis Redemti* M DC XXXXVIII.

Series

SERIES PERSONARUM ET RERUM.

Elias Hönisius VratisL. dicet *Prologum*,

Declamabunt Adolescentes,

Johannes Laurentius UratisL.

Contra Silentium Pythagoricum.

David Pontanus Namslaviensis,

Pro Silentio eodem,

Andreas Girsnerus UratisL.

Contra Garrulitatem,

Daniel Bischoff UratisL.

Contra Victum hortensem Pythagoraeorum,

Zacharias Rampusch UratisL.

Pro Victu eodem,

Johannes Albertus UratisL.

De Examine sui ipsius qvotidiano.

Recitabunt Pueri,

Johannes-Rudolphus Rosarius UratisL.

Curriculum Studiorũ Pythagoræ ex Val. Max.

Christophorus Freywald UratisL.

Eidyllion Ausonii de Viro Bono,

Ernestus-Ludovicus a Mutschelnitz/

Epigramma Incerti de Literâ pythagoræ,

Georgius-Fridericus ab Artzat/

Apophthegma qvoddam Pythagoræ,

Martinus Gusske UratisL.

Apophthegma aliud ejusdem.

Albertus Schrotius }
Henricus Seliger } UratisL.

Colloqvium de Silentio & Convictu Pythag. Ille Pythagoræ, hic Discipuli personam repræsentaturus.

Henricus Sibutzki dicet *Epilogum*.

FINIS.

(o)




Biblioteka Jagiellońska
stdr0010000